

agere. Sed quoniam septem præalta flumina omnia nauibus transmittenda celeritatem impediabant ad eam tollendam difficultatem: Venetorum naues maxime contulerunt: funibus enim alligatae tabulisq; constratae præbuere & tutum & celerem traiectionem. Eum imodium fossa quoq; philistia clodiaq; tum etiã Brondulum & carbonaria. Fornaces nunc appellata. Capresiaq; padis ostium: Quae magnauacca nunc dicitur facile superata sunt. Ipse ut loca cognosceret per aestuaria nauicula delatus: & insulas illas uisens: apud Riualtum descendit. Maxime est delectatus tum loci nouitate tum studiis incolarum. Laudauit liberalibus uerbis auxilia eo in bello imperatoris rebus collata: præcipue in his duobus postremis apud Rauennam & Anconem. Venere ad Narsetem oratores frequentes eius oratione populorum imperata facturi. In his patauini. Qui posteaq; cetera ad declarandam fidem executi: questi sunt multis uerbis: estuaria atq; littora patauio obiecta: per iniuriam sibi a uenetis ablata: suos maiores illa quondam possedisse: portu Meduaco semper usos fuisse: tum cum longe lateq; pollerent: & opum magnitudine & multitudine negociorum. Nunc omnia per iniuriam a uenetis erepta: Quid apud imperium deliquerint ignorare: semper inquit in cultu habitum est a nobis narsetis Romanum nomen. Missa aliquando auxilio eorum bellis (quod ex nostris monumentis extat) plus centum milia militum. Ob quae merita maiores donati ciuitate & suffragandi iure. Nunc (si deo placet) erepta nobis omnis nauigatio est: spoliatur portu littoribusq; nostris & stagnis ab ipso pene orbis initio possessis. Quin arcet etiam ab eorum ingressu. Muniunt ostia fluminum uallis: ut neq; ingredi: neq; egredi: nisi ad eorum libidine liceat. Afficiunt nos isti longe maiori clade: quam Gotthus unquam aut hunnus illi afflixere paucos per annos: hi uero in aeternum si liceat questi olim apud odoacrem & Theodoricum: nihil retulimus præter uerba. Nec mirum: Quid. n. sperare decuit amicos Romani nominis ab illius inimicis? Nunc uero confugimus ad te narsetis maxima spe. Proficisceris ad bellum: cuius causa: si paruis magna licet conferre: eiusdem generis cum nostra est. Ereptam a Gotthis Italiam imperator per te repetit. Repetimus nos per te stagna nobis a uenetis erepta. Quod igitur edere potes euidentius cunctis mortalibus iustissimi propositi tui testimonium pellendi Gotthos malefidei possessores Italia: quam si hæc loca per iniuriam a uenetis erepta restitui compellas antiquissimis fidelissimisque sociis? Hæc & pleraque alia cum Patauinus esset questus: Tum Nicolaus Riualti tribunus.

Si patauini meminisse uellent quae patribus nostris communiter acciderunt quaeque ipsi maluerunt: quam tempus optandi fuit: neque nobis essent nunc molesti: neque tibi narsetis: quamquam: ut uidetur: nunquam huiusmodi querimonia desistent: quod ut ipsi fatetur saepius questi sunt: semper reiecti. Ex quo potes cognoscere quam iniuria nunc de nobis queruntur: Sed agemus cum his mitius: nec acrius